INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXVI
USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXXVII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDUNT **PROF. DR. WILHELMI WEISSBRODT** QUAESTIONES GRAMMATICAE.

BRUNSBERGAE, 1886.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D$^{R.}$ WILHELMUS KILLING,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
RECTOR ET SENATUS
CIVIBUS SUIS
S.

Quaestiones grammaticae.

Caput I.
De consonantium in lingua latina geminatione.

De consonantium in lingua latina geminatione nuperrime disseruit Aemilius Seelmann in libro qui inscribitur „Die Aussprache des Latein nach physiologisch-historischen Grundsätzen, 1885“ p. 109—132, qui p. 114 Aemilii Baehrens commentationem „Die Consonantengemination im Lateinischen“ in Fleckeiseni annalium vol. CXXVII p. 774—98 publici iuris factam acerbissime castigat; neuter vero vir doctus in antiquiore latinitate perscrutanda ea qua par est diligentia atque accuratione versari videtur[1]). Nam quid inde ab Ennii temporibus lingua latina tenuerit, quid mutaverit, quomodo aliae alias scripturas exceperint, quidque inde utilitatis ad universam Romanorum enuntiandi consuetudinem cognoscendam redundet, de ea re neque a Baehrensio neque a Seelmanno edocemur. Velut a Mommsenio (C. Inscript. lat. I. p. 45) propositum supplementum legis Bantinae

[1]) Quot cautiones usus inscriptionum in commentariis grammaticis habeat, alter eiusdem libri locus documento est. Pag. 366 Seelmannus mediae D, quae imperatorum aetate tenui T substituta sit, exemplum affert EXEAD Inscript. Regni Neap. 2779. Idem attulerant Wilh. Corssen, Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache ed. I. vol. I. p. 75, ed. II. vol. I. p. 195, Hugo Schuchardt, Vokalismus des Vulgärlateins I. 119. Omnes opinati sunt esse subiunctivum verbi quod est *exire*, quod ab hoc epitaphio alienum est. Inscriptio haec est:

D · M · C · COGITATI · VA
LENTI · MANIP · IIII · DACIC·
NATIO · PANN · MIL · ANN · II·
VIXIT · ANNIS · XXV · NA
TALIS · VICTOR · ET · VALERI
VS · VELOX · EXEAD · H · B · M

EXEAD· igitur est *ex eadem; exeadem, exeo, inea* et quae sunt id genus saepissime inveniuntur. Vir doctus, qui in Musei Rhenani vol. XXIII p. 198 Corssenum et Schuchardtium correxit, supersedit significare, se mihi rei notitiam debere.

IOVSISSE Seelmannus sine ulla dubitatione ipsi tabulae tribuit: „Recht bezeichnend ist es", inquit, „wenn z. b. in der Lex Bantiae da, wo ausnahmsweise gegen den später allein massgebenden orthographischen brauch gefehlt ist, es in vortoniger silbe geschieht, nämlich in ... IOVSISSE." Tu cave de alterius syllabae duplici littera inde quidquam efficias; nam nullo modo demonstrari potest, infinitivum perfecti temporis Gracchorum fere aetate quemquam geminata consonante scripturum fuisse.

Quod autem in infinitivo perfecti illo syllabam, quam sequitur littera S, „vortonig" esse Seelmannus animadvertit, id nullius momenti est. Nam aliae syllabae, quae accentum habent, quoad geminationem aut admissam aut neglectam in eodem verbo nihil differunt; IVSI, IVSVM, IVSERIS, quamquam in prima syllaba summum tonum habent, nihil eo setius eadem aetate, qua infinitivi perfecti prima syllaba, simplicem consonantem conservaverunt eademque amiserunt. Qui INTERCESVRUM scripsit, quod re vera in tabula Bantina legitur, etiam INTERCESIT, INTERCESERIM, INTERCESVM scripsit, quorum syllaba -CES- non „vortonig" est.

Ritschelius (de titulo Mummiano IV; Monumenta epigraphica tria 10, 32; de titulo Aletrinatium IV—VI, Musei Rhen. vol. XII p. 13, enarratio tabb. p. 132 = opusc. IV. 88, 125, 155, 165 sqq.) haec posuerat:

1) non esse geminatum, si ab uno eoque singulari exemplo recessisses, ante Ennium;
2) promiscue vel geminatum vel non geminatum inde ab anno circiter 580, h. e. paullo ante mortem Ennii;
3) saepius geminatum quam non geminatum post annum 620;
4) constanter geminatum paucissimis exceptis vetustioris moris reliquiis paullo post annum 640;
5) ipsum autem Ennium fere eandem quam etiamnunc latinam habemus geminationem statuisse.

Cf. de tit. Aletrin. l. l.: „Senatusconsultum de Tiburtibus litteris consignari ab aliquo potuit, qui Ennianae doctrinae sese addixisset." Mus. Rhen. IX. 160 = opusc. IV. 229.

Qua via geminatio serpserit, mihi videbatur probabilius definiri posse. Namque e liberae rei publicae inscriptionibus duo genera eligi possunt, quae cum diligentia in iis et concipiendis et exarandis posita, tum vero quadam copia verborum consuetudinem urbanam geminandi vel non geminandi integriorem nobis repraesentent. Leges repetundarum et agrariam atque elogia Scipionum dico. Illae enim simplicibus consonantibus scripta habent haec:

IOVSIT, IVSIT, IVSEI particip. sexies;
LEGISE, FVISE HABVISENT quinquies;
POSSESIO, POSSESOR sexies decies;
CAVSA terdecies, CAVSSA in aere semel;
duplicibus ESSE ESSET circiter tricies;
ANNVS terdecies;
POSSIDERE, POSSESIO plus vicies;
POSSIT, POSSITVR;
REDDERE, COMMVTARE fere vicies;
TERRA, OPPIDVM cet.

Alia quaedam vocabula sibi non constant aut semel tantum inveniuntur, ut ex his legibus de usu simplicis vel duplicis consonantis iudicium fieri non possit.

Ex Scipionum autem elogiis ESSE, ESSENT, TERRA, ANNOS, item LICVISET, SVPERASES legibus repetundarum et agrariae respondent. Quibuscum fere consentiunt alii tituli, velut decretum L. Aemilii Paulli de scriptura IOVSIT, item de subiunctivo plusquamperfecti in -ISENT et de verbo

substantivo ESSENT, tabula Bantina de simplici consonante nominis quod est SVFRAGIVM, idemque semel legitur in legis repetundarum fragmento E 10 apud Brissonium et Fulvium Ursinum; redit simplex littera in scripturis legis Iuliae municipalis anni 709 u. c., 45 a. C. n., quae SVFRAGIO bis exhibet, siquidem altero loco sculptoris errori SVERAGIO debetur, et sibilantem in perfecto verbi iubendi ter simplicem; sententia Minuciorum habet IOVSIT, IVSIT, eadem ESSENT, bis ESSE.

Qua de causa credendum est, Ennium in multo paucioribus verbis formisque verborum, quam saeculo septimo exeunte et ineunte octavo ac medio geminaverunt, geminavisse consonantes. Librorum manu scriptorum auctoritatem in huiusmodi quaestionibus, ubi recentiora habent, esse admodum exiguam, vix opus est monere; eodem iure, quo quis ad eos decurreret, nostra aetate de Puttkameri rationibus orthographicis iam Schillero et Goethio vel Lessingio probatis coniecturam faceres. Inscriptionum autem Ennii aetate paullumque infra exaratarum testimonio plena fides habenda est. Verba quae sexaginta post Ennii mortem annis praeterlapsis simplicem consonantem conservabant in inscriptionibus eandem, quam in inscriptionibus aetatis Ennianae habuerant, ea facile nobis persuadebimus ipsum Ennium nondum geminata consonante scribi voluisse.

Multo difficilior est quaestio, quid in aliis verbis Ennius simplice, in aliis duplice consonante secutus sit. In promptu est respondere, aurium iudicio eum obsecutum esse atque alium sonum audivisse verbi substantivi formarum ESSE, ESSET, alium formarum FVISE, FVISET, LICVISE, LICVISET, SVPERASE, SVPERASET, aliam fuisse consonantem in POSS-, aliam in -ESIO. Quo vero eiusmodi discrimina referenda sint quidque rationis grammaticae illi quod videtur arbitrio et inconstantiae subsit, modo aliquid subsit, non liquet.

In universum quidem geminatio duplex statuenda est. Altera est binarum consonantium, quae aut per se similes fuerunt, ut ADDERE, COMMVTARE, aut ad similitudinem quandam reductae sunt, ut ATTRIBVO, IMMITTERE prima syllaba. Alterum genus singularum consonantium est, quae fortius enuntiantur, nulla nobis in etymis causa patente, ut COTTIDIE. Seelmannus p. 114 sqq. geminatas distinguit a continuis consonantibus, recte is quidem, nisi quod grammaticorum veterum iudicio nimium tribuit. Videamus hic singillatim de paucioribus quibusdam verbis formisque, quibuscum alias, de quibus inscriptionum testimonia non extant, probabili coniectura conferre possimus.

§ 1.

De infinitivo praesentis, subiunctivo imperfecti, infinitivo perfecti, subiunctivo plusquamperfecti verbi substantivi et de infinitivo perfecti, subiunctivo plusquamperfecti activi ceterorum verborum; ADESSINT.

Magna est virorum doctorum controversia de duplici littera S infinitivi et subiunctivi. Vix quemquam librum grammaticum hodie evolvas, qui in causis latinae linguae ac singularum scripturarum origine versatur, quin in talem aliquem locum incidas. Cum omnes, quae nunc leguntur, commentationes sive libros enumerare longum sit, in paucis nos continebimus.

Cf. Pott, etymolog. Forschungen ed. I. vol. I. p. 274; Benary, römische Lautlehre p. 31 et 269; Bopp, vergleichende Grammatik ed II. §§ 644, 708, 855—56; Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, ed. Haase p. 223; Curtius, Tempora und Modi p. 335, 352, 355; Lange, Bildung des lateinischen Infinitivus praesentis Passivi (Sitzungsberichte der philol.-historischen Klasse der K. K. Akad. d. Wissensch. 1859 p. 4); Fried. Neue, lateinische Formenlehre ed. II. vol. II.

405, 508, 595—96; Schleicher, Compendium der indogermanischen Sprachen ed. II. p. 473, 831; Leo Meyer, vergleichende Grammatik der griechischen und lateinischen Sprache I p. 58, II. p. 120 sqq.; Corssen, Aussprache ed. II. vol. I. p. 284, 615 cet., II. 475; Merguet, Entwickelung der lateinischen Formenbildung p. 229, 232, 243, 248; Jolly, Geschichte des Infinitivs im Indogermanischen, compluribus locis; Wilhelmus, de infinitivi linguarum sanscritae, bactricae, persicae, graecae, oscae, umbricae, latinae, goticae forma et usu p. 12; Westphal, die Verbalflexion der lateinischen Sprache p. 4, 12, 17, 19, 52, 56, 106—9, 111, 115, 157, 263; Stolz, zur lateinischen Verbalflexion I. p. 33 sqq.; denique, ut missos faciam alios multos, nuperrime Wilh. Schulze, das lateinische **v**-perfectum, in Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung, XXVIII p. 269.

Quorum virorum quid unusquisque docuerit, separatim enarrare nolumus; dies enim, aiunt grammatici, nos deficeret; summatim sententias comprehendere licet ita, ut dimidiam fere partem in formis ES-SE, ES-SEM radicem ES- et terminationem -SE, -SEM distinxisse dicamus; integrum deinde hoc ESSE, ESSEM formationi infinitivi perfecti et subiunctivi plusquamperfecti inserviisse credunt, ut ex FVI + ESSE, FVI + ESSEM existeret FVISSE, FVISSEM; altera pars grammaticorum geminationem phoneticam, quae vocatur, agnoscere sibi videtur, ut duplex littera non duo elementa significet, sed unam sibilantem, fortius eam enuntiatam. Sunt etiam, qui FVIS-SE, FVIS-SEM, LEGIS-SE, LEGIS-SEM discernant; cum perfecti themate, quod in -IS exeat et tantum Latinorum sit, suffixum -SE iunctum esse eodem modo, ac cum praesentis themate ES-.

Mihi scripturae diversitas indicio est, ad infinitivum praesentis temporis et subiunctivum imperfecti formandum linguam latinam radicem ES- cum terminatione -SE, -SEM coniunxisse, ad infinitivum perfecti et subiunctivum plusquamperfecti indicativum FVI, AMAVI cet. cum eadem terminatione. Consentaneum est, iam antiquissimis temporibus illarum formarum duplicem S, harum simplicem auditam esse; geminatione inventa enuntiandi consuetudini scripturam accommodarunt et vocis differentiam septuaginta fere per annos expresserunt litteris, donec gliscente geminatione phonetica duplicem S etiam infinitivus perfecti et subiunctivus plusquamperfecti ascisceret.

Noli autem simplicis et duplicis S mentionem ac duo enuntiandi genera, quorum unum est duarum consonantium similium, alterum unius consonantis fortius elatae, de firma quadam ac stabili consuetudine ac norma accipere, tamquam Ciceronis aetate, postquam infinitivus perfecti et subiunctivus plusquamperfecti geminatam consonantem usurpaverunt, ori latino alia harum formarum S visa sit, atque infinitivi praesentis et subiunctivi imperfecti. Immo eundem tum temporis formarum utriusque originis sonum fuisse ex eo colligo, quod tantum non semper etiam recentior illa geminatio tenuit. Rarissima enim ac prae infinita contrariarum scripturarum paene evanescentia sunt vestigia simplicis litterae, velut quae codex Decurtatus habet in Trinummi Plautini v. 172: *praesensiset;* Vergilii Aeneidos XI 302, altera quidem S littera superscripta, Mediceus *statuise;* item Palatinus eiusdem Vergilii eclogarum IX 10 *servase*, idem Palatinus Aen. XII 710 *coise*. Incertorum annorum sunt tituli Pompeiani duo, C. I. L. IV. n. 2461: *admiror paries te non cecidise ruina*, et 3121: *abuise*.

Qui ES-SE, ES-SEM in radicem et terminationem distinguunt, ii plerumque verbi substantivi vim etiam ipsi terminationi infuisse credunt; postquam propriam eius notionem homines iam minus sensissent in terminatione ceterorum verborum, ut AMA-SE = *amare*, LEGE-SE = *legere*, AMA-SEM = *amarem*, LEGE-SEM = *lege-rem*, eodem modo ES-SE, ES-SEM componi coepta esse.

Si quis forte verbi substantivi vim ita infringi atque intermori potuisse negaverit, is reputet necesse est, nihil magis ab eodem verbo abhorrere, quam passive cadere. Niholominus *possum* „multi veterum et passiva declinatione figurarunt, *potestur*, *possuntur*, *possitur*, *poteratur*.“ (Charis. excerpt.

Diomed. ed. Keil p. 385) Ennius, Plautus, Pacuvius, Quadrigarius, Scipio Africanus, Cato, C. Gracchus, Lucretius alii his formis usi sunt; in legis repetundarum fragm. E 22 Brissonius et Ursinus habent: *ubei de plano recte legi possitur.* Lingua rustica infinitivo ESSE eandem -RE syllabam, quae ipsa olim -SE fuerat, iterum adiecit; *essere* enim Itali dicunt, *ser* Hispani. Multa huiusmodi repetitione corroborari solent; *quasi si*, *nisi si* apud scriptores optimae aetatis, *con meco*, *con teco* apud Italos haud scio an conferre possis.

Cum ea quam supra exposui rei ratione omnis verbi substantivi varietas facillime conciliatur. Primo enim obtutu nullis normis obstrictum videtur litterarum S et R quod est in hoc verbo arbitrium; sed probabiliter ex illa causa repetitur. Verbi enim quo nullum usitatius esse potuit, omnes formas, nisi quae aliqua tutela protegebantur, apparet quasi atteri oportuisse. Eam enim ob causam verba, quibus frequentissime utimur, maximam partem ἀνώμαλα sunt.

Rhotacismo obstitit tenuis T, quippe quae S litteram antecedentem firmaret: EST, ESTIS, ESTO. Similia sunt *geso-gero gestum*, *uro ustum*, *maereo maestum*, *quaeso-quaero quaestum*, *Liguria Ligusticus* cet. Eandem in partem valent *distinguo*, *distraho* cet., si comparas cum aliis, velut *diduco; dispono, discerno — digredior* cet., et lapsus SST frequentia.

ESSTO iam in lege repetundarum est (fragm. B. 41);
ESST Orelli-Henzen 5534; C. IV. 1097a cf. p. 202. CASSTRESE Orelli-Henzen 6335; ibidem recte PEDISEQV(us). Est Romae.
ESSTO ibidem 7338;
POSSTERIS ibid. 6335; VI 8631.
ASSTANTE ibid. 1918 = C. VI 746, p. C. 183;
SALLVSSTIVS Momms. Inscr. R. Neap. 5606;
ERASSTO ibid. 6404; CHRESSTINA C. I. L. VI 13712; ASSTE cogn. VI 9502;
FAVSSTINVS C. I. L. VIII 5034; TESSTAMENTUM X 4795; IX 5505;
FAVSSTINES VI 585; CONSSTANTINO ibid. 10410;
VESSTA 3097;
RESSTIT ... III. 4718; RESSTITVTORI X 4553;
ANTESSTIVS III. 14; ANTISSTIVS VI 7677; ANTISSTIA VI 11920;
MAGISSTER Annali 1865 p. 128;
IVSSTA C. I. L. IX 1268; IVSSTI V 6127; ibidem IVSTINA;
AVSSTIA ibid. 2871 bis.

In libris scriptis multa, velut

ASSTARE Plaut. Mercat. 821 Codex Vatic.;
POSSTREMVM Verg. Aen. XI 664 codd. Medic. Palat.;

quibuscum conferas Osca: *posst* in cippo Abellano (Mommseni Unterital. Dial. tab. VI v. 33); *kraisstur* (tab. X n. XIV, XV, XVI); *passtata* (tab. X n. XX); nonnulla denique in inscriptionibus graecis.

Haud minus sibilans eo firmabatur, quod vocali E praecisa primam sedem occupavit: SVM, SVMVS, SVNT. „*Sum* quod nunc dicitur olim dicebatur *esum* et in omnibus personis constabat" (Varro de l. l. IX. 100). Apparet non de coniectura Varronem haec scripsisse, sed certas quasdam antiquissimi sermonis reliquias ei obversatas esse, quae ab Indorum praesenti *asmi* et Graecorum *ἐσμι non differebant.

Quod in infinitivo perfecti et subiunctivo plusquamperfecti sibilans rhotacismo non cessit, eidem

debetur discriminandi studio, quo linguae saepenumero prohibentur, quominus omnia ad aequabilitatem conforment. Cum enim R ex S corrupta superiorem vocalem corripiat, id quod observavit Curtius „Tempora und Modi" p. 207, 335, verendum erat, ne aoristi formae FORE, FOREM cum infinitivo perfecti et subiunctivo plusquamperfecti confunderentur. Cf. *puer por*, *Marcipor*, *Gaipor* cet.

Quaerat quispiam, num nihil auxilii dialecti praebeant. Apud Oscos et Umbros infinitivus terminabatur in *-um;* Oscorum autem EZVM apud Umbros iam non servatum est, sed mutatum in EROM. Nimirum nudum verbum substantivum per se sibilantem conservare non poterat. Eodem modo diceres linguam Latinam *ERE potius quam ESE, ESSE facere, nisi duae S invicem sese tutarentur, ut *dis-signo*, *dis-sipare*.

Ita evenit, ut cum LEGEREM, LEGERE, AMAREM, AMARE, MONEREM, MONERE, AVDIREM, AVDIRE rhotacismi vim paterentur, S in ESSE, ESSEM integra staret; in ES duae S extant simplici expressae: *esis*, quia nulla consonans in exitu verborum geminatur.

Haud ignoro in legis agrariae fragmento E Brissonium et Fulvium Ursinum, hunc semel, v. 18, illum bis, vv. 7 et 18, FVISSE tradere; sed in Specimine grammatico p. 25 monui, utrumque imprudentem, vel ut rectius dicam, Fulvium Ursinum et Puteanum, qui a se exscripta Brissonio dedit, imprudentes etiam aliis harum legum locis novicias scripturas inculcasse, ut QVINQVENNIVM, PLVRIMAE, HVIVSCE, IVSSEI, HAEREDES, ASSIGNAVIT, POSSESSIO; quin etiam EX HACCE, cuius nec in antiquiore nec in inferiore latinitate nec vola nec vestigium extat, Brissonius scribit in fragmento legis repetundarum D6. Quae cum ita sint, FVISSE illud nobis in censum non venit.

Quodsi Plautum, Ennium Terentium reliquosque eius aetatis scriptores nobis iam constat FVISE, FVISEM cet. scripsisse, nihil eo setius metricae rationes eaedem fuerunt, atque apud recentiores; enuntiabant illi producta *i* vocali.

De ADESSINT verbo fragmenti E legis repetundarum v. 19 Corssenus, Aussprache ed. II. vol. II 728 sic: „Dass das eine Futurform ist mit der Bedeutung von aderunt zeigt das im Texte des Repetundengesetzes kurz darauf folgende, im Satzbau dem adessint parallel stehende non aderit." Non assentior; legis enim fragmenta, quae reconcinnavit Mommsenus, haec habent:

> *iudex ... (diem edito .. qua is, quoius lites) aestumatae erunt, quoiusve regis populeive nomine lis aestumata erit, legati adessint, dum nec longius C dies edat. Ubei ea dies venerit, quo die* (sic) *iusei erunt adesse ... Quod eorum nomine, quei non aderit, tributus factus erit ...*

Vides igitur, duo illa membra, quorum in altero ADESSINT, in altero *non aderit* est, diversa esse; hoc est relativum simplex, illud iubet aliquid; iudex diem edit: *ea die legati adsunto, adesse debent.* Quapropter ADESSINT mihi videtur subiunctivus esse; *faxint*, *capsint* similia habeo; adiuncta est terminatio -SINT radici ES-; Corssenus aliter: „s durch Verschärfung verdoppelt, nachdem das Wort -es-i-ent um eine Silbe kürzer geworden war."

§ 2.
Miscellanea.

Ut IVSSI, IVSSVM explicarent, viri docti alii alia tentaverunt. Prisciano, qui I. 44 (Hertz) B transiisse in S putat, assentitur Boppius, Vergleichende Grammatik ed. II. vol. I. p. 172, et cum eo multi; e quibus unus Curtius, Bildung der Tempora und Modi p. 306 simile quid invenisse sibi videtur: „die assimilation von *b* und *s* in *iussi* hat wenigstens in der sehr häufigen des verwandten *v* ihr analogon, z. b. *liberassem* für *liberavsem*." — Sed quis nobis persuadebit *liberassem* esse *liberavsem?*

Duplex S in *liberassem* non ad V consonam adsimilatam sibilanti redit, sed eadem est, quae in pleniore subiunctivo *liberavissem* obtinuit: *vi* syllaba extrita est eodem pacto, atque in *delevistis*, *delestis*, *audivit*, *audit* cet. Theodorus Benfey, Abhandl. der k. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen 1871: *Iubeo und seine verwandte*. *Altbactrisch yaozhdhâ* etcet. sic: „*iousp-si*, *iousp-sus*. Sowohl in *iouspsi* als *iouspsus* fiel das *p* zwischen den beiden *s* dann aus" (p. 44). Corssenus, ut alios multos omittam, Ausspr. II. ed. II. p. 1027: *ius-si* für *ius-hipsi* und *prae-bui* für *praehibui* stehen neben einander wie *pellexi* neben *pellicui*." Istiusmodi artificia refutare longum est et supervacaneum.

Diserto Quintiliani testimonio I. 7. 21 constat, Ciceronem quidem et Vergilium *iussi* scripsisse; sed „paullum superiores etiam illud, quod nos gemina S dicimus, IVSSI, una dixerunt."

Hinc consequens est, non de consonante B ad similitudinem sibilantis reducendae illos homines, paullum superiores, cogitasse, sed geminationem esse phoneticam; simplex esse verbum, quod in perfecto et participio nobis superest, compositum praesens. Verum viderant Corssenus in „Kritische Beiträge" p. 241 et Benary l. l. — Cum *fero*, *tuli*, *latum*, *morior*, *mortuus sum* aliaque verba in perfecto et supino non congruant cum praesenti, probabilitate non caret coniectura, *iousĕre* verbum extitisse, cuius nunc extet perfectum et supinum, cum vices praesentis compositum gerat *iovs habeo iovbeo*.

Inter vitia Graecorum Consentius (Keil V p. 395) perversam qnoque enuntiationem perfecti illius ponit: „s litteram graeci exiliter eeferunt adeo, ut cum dicunt iussit, per unum s dicere existimes." Potest, ut pars exemplorum, quae enotavi, eo referenda sit.

C. III 1937 (Spalati): *(d)iane Auguste silvestri (e)x iuso posuit Septimus pro filio suo.* Mommsenus suspicatur, quadratarium male sic dedisse pro *ex viso*.

III. 3908, originis incertae, Laibaci; *I. o. m. D. et I. o. m. H. Aurelius Domittius qum Fl. Castore et Aur. Maximu fratribus ex iuso numinis.* *Δομίττιος* notum est. III. 6026 in titulo bilingui *ττ*, *tt* legitur.

III. 314 (Ancyrae): *Imp. Caesar M. Aurelius Severus Antoneinus Aug. Pius Felix Parthicus ... viam fieri iusit.* Graecum hominem scriptura *Antoneinus* prodit.

III. 5037 (Friesach in Norico): *Subitio Suri f. T. f. iusit sibi et Vercillae Troucilli f. uxori.*

V. 215 Polae in regione X: *(P)ompullienus Q. f. Secundus testamento fieri iusit sibi et ...*

VI. 2520 (Romae, Praetorianorum): *T. Aelio T. f. ... testam. poni iusit.* Non ante Hadrianum.

IX. 5058 (in agro Hadriano, reg. V): *Sex Egnatius T. f. testamento fieri iusit arbitratu Maxumae Corsediae T. f.* Resedisse videtur simplex littera ex antiquiore consuetudine.

IX. 5065 (Interamnae): ... *Caesius .. Vel .. tubice(n) (e)x testament(o) fieri iusit ...*

Ex libris scriptis haud ita multa simplicis in hoc verbo litterae vestigia mihi innotuerunt; in Riccardiano (E) Terentii Phorm. v. 683 est *iusus*, recentior manus alteram *s* superscripsit; Heaut. 1001 in Victoriano (D) *iusisse;* in Vergilii Palatino (P) Aen. II 186 *iusit.* Ex inscriptionibus antiquioribus praeter titulos Patavinos non habeo quod iis exemplis, quae supra attuli, addam, nisi hoc:

RVSTIAE · RVSTIV IOVSIT

(Annali 1880, la suppellettile dell' antichissima necropoli esquilina, Dressel).

Quin aetate Gracchorum in POSSESIO, POSSESVM, POSSESOR vocalem E produxerint, dubitari nequit; quod autem vulgo credunt, perfecta et supina alterutro modo formata esse, aut adsimilatione consonantis, ut DIVISSI correpta I vocali alterius syllabae, aut eadem vocali damni compensandi causa producta, id refellitur lege Rubria et senario C. Caninii C. I. 1012.

Nam illa habet REPROMISSVM I. 19 et 21, REPROMISSIO I 14, at REMEISSERIT I 6,

PROMEISSERIT II 22, REPROMEISSERIT I 12, REPROMEISSISSET I 25; EI scriptura tum temporis non vocalem inter E et I mediam significat, sed nostram I productam; siquid igitur sapiunt, qui legem Rubriam anno 705 vel paullo post in aes inciderunt, SS in MEISS- non est adsimilatio, sed geminatio phonetica quae vocatur, unius consonantis fortius elatae; I in MITTO, MISSVM quod ad prosodiam attinet, longa fuit, i. e. duas vocales breves valuit propter positionem TT, SS, ad enuntiationem brevis. — Eadem vis est I longioris, supra versum productae, in MISSIT C. I. 1012.

Iam nihil obstat, quominus etiam in hisce vocalem producas:

REMISSIT C. V. 7478; PROMISSIT VII 139; nulla insunt primi p. C. n. saeculi indicia;

CASSVM V 6808 in carmine, quod Hauptius vix recentius esse Tiberio iudicavit; videtur mihi PRAESTITEI tum iam non scribi potuisse;

VISSV III 5870;

DIVISSAE VI 10046, aetatis Augustae; DIVISSIO II 2621, aetatis Caracallae; DIVISSIT X 5974.

Quae cum ita sint, ne in his quidem T vel D adsimilatam esse sibilanti constat:

CLAVSSVM semel, altero loco CLAVSVM in Rebus gestis divi Augusti.

VSSV ablativus VI 10230 aetatis Augustae, ubi prior V apice insignita est;

VSSVS accus. plur. IV 2583; Inscr. confoed. Helvet. 149, ubi et VSSVRAE; aetatis Hadriani;

VSSVRIS praeterea in Galliae Narbonensis titulo, Herzog p. 92;

LVSSOR ibidem p. 36; LVSSIONIBVS; mihi non suspectum. Ephem. epigraph. III p. 37 (Hispan.);

CLVSSER(VNT) C. V. 6473; ibid. QVADRAGENSIMVM;

EXCLVSSOR Boissieu, inscriptions Romaines de Lyon p. 424;

OCCISSI partic Inscr. Helvet. 298.

RISSIT fortasse in inscriptione Pompeiana C. IV. 1486.

Item scriptura QVAESSO C. X. 2311 in carmine optimae aetatis, in quo QVOIVS, apices, I longa, et QVAESSI perf. C. V. 2986 phoneticam geminationem testantur. Eiusdem generis est QVASSI coniunctio C. III 459 in titulo Amorgino quarti p. C. n. saeculi, licet antiquum illud QVAMSEI. QVANSEI adsimilationem permittere videatur.

E libris multa praesto sunt; de quibus confer Ritschelii prolegomena ad Trinummum, p. 102, Ribbeckii appendicem Vergilianam, p. 444; qui quid de duplici S vocabuli quod est CAVSSA sentiat, non dispicio; dicit „ortum ex VS." Mihi NOC-SA, NOXA, CAV-SA, CAVSA, a nocendo et cavendo ducta, eodem loco sunt. Haud ignoro equidem, multos CAVT-SA interpretari, sed geminatio consonantis ab isto veriloquio non profecta videtur.

CAVSSA in inscriptionibus, quarum aetas definiri potest, post imperatoris Othonis et Titi vel Domitiani tempora non deprehendi; est C. X 7852 in decreto L. Helvii Agrippae proconsulis Sardiniae anni p. C. 69 vv. 4, 5, 14, ubi tamen EXCVSANTIBVS v. 18, quamquam utrumque a grammaticis latinis aut probabatur aut reiiciebatur; ACCVSSASSE est legis Iuliae municipalis v. 120; e novissimis exemplis CAVSSA est in dedicatione decurionum alae Gaetulorum, quibus C. Valerius praefuerat bello Iudaico sub divo Vespasiano: HONORIS CAVSSA, Orell. 748, nisi rectius Mommsenus V 7007 CAVSA dedit; C. VI 2993 nominatur L. Aufustius candidatus Ti. Caesaris; ibi scriptum CAVSSA; idem in Orellianae sylloges vol. III Henzeniano 5098, anni 46 p. C.; fasti Capitolini consulares circiter viginti quinque locis geminant, nullo excepto; fasti Praenestini Verrii Flacci Ian. 6, 14 bis; elogia Valerii et Papirii Cursoris C. I p. 284, 287; Res gestae divi Augusti 3, 1. Ex titulis

incertorum annorum hic satis habeo memorasse C. VI 3823, Orellianae syllogae n. 4859, quorum uterque aetatis Augusti esse videtur; VI 8158; 9323; 13411; 11630; V 6574; 7481; X 1818; 5713.

Sed ne Augusti quidem et Caesaris aetate omnes duplicem S scripserunt. Edictum de aquaeductu coloniae Venafranae circiter septies CAVSA exhibet, cippi Venafrani quater, X 4842, 43; dedicatio arae Narbonensis semel. Ut ea Antoninorum tempore refecta sit, quod Io. Bapt. de Rossi contendit (Annali 1857 p. 328), restant alia monumenta, velut VI 10230 CAVSEIS; 10298 (bis), quae lex ante Tiberium scripta est; 14211 epitaphium Icadii, libertae Calpurniae, coniugis Caesaris; cenotaphium Gai Caesaris Augusti f. Pisanum: EXCVSATA; ibidem CASVS. Anni 16 p. C. n. est C. VI 10237 carmen T. T. Cocceiorum: CAVSAM.

Mutus Argutus Ti. Caesaris Augusti imitator primum invenit CAVSIDICOS imitari VI 4886, quod iureconsultorum nomen redit 9240 in epitaphio liberti cuiusdam Hadriani Augusti; oratio imperatoris Claudii in monumento Lugudunensi, eiusdem aetatis C. VI 10302. 9187 praebent CAVSA. Cf. VI 10238: T. Flavius, Aug. lib; 10239: T. Flavius Syntrophus.

Titulos libertorum Hadriani, in quibus CAVSA extat, hos habe: VI 8930; 9042; 10791; 10848; 10969; 10240; aetati fere Hadriani tribuitur 10241; acta fratrum Arvalium ad annum 80: CAVSSA, ad annum 155: CAVSA; libertorum M. Aurelii: VI 13028; 13061; 13387.

Ex sexcentis quas addere possem inscriptionibus C. VI 5534 in LOQVONTVR vetustioris consuetudinis vestigia servavit; quae quia recte geminat in CALLISTE, ANNVS, ACCEDAT, SVMMA, ESSE, testatur CAVSA, VISA primo p. C. n. saeculo haud inusitata fuisse apud eruditos; obsoleverat autem geminatio vocabuli illius iam saeculo primo exeunte.

Libri quidam cum Lucretii, de quibus refert Lachmannus Comment. p. 367, tum aliorum scriptorum passim habent MISA, DIMISA, DEMISIOR, DIMISIOR; „sed haec“, inquit, „sono non differunt in longa vocali; sine ullo ad pronuntiationem emolumento veteres scripserunt CAVSSA, CASSV, COMESSVM, CESSIT, VSSIT.“ Et de emolumento quidem ambigi potest; usus autem, quem penes arbitrium est et norma loquendi, harum scripturarum non idem fuit. Quomodo factum sit, ut in aliis simplici, in aliis duplici littera uti mallent, nescimus; cum vero in aliis consuetudo simplicem litteram recuperaverit, in aliis conservaverit duplicem, apparet pronuntiationem diversam fuisse. Namque in vocabulo mittendi praevalet simplex littera in perfecto, duplex in participio ita, ut re vera post Ciceronis et Augusti aetatem MISSI perfectum vix unquam legatur, MISVS participium, si ingentem locorum, ubi MISSVS est, multitudinem spectas, rarissime; idem cadit in CESSIT, VSSIT et scripturas hisce contrarias.

Nam in privilegiis militum veteranorumque de civitate et conubio constantissime DIMISSIS, MISSIONE, MISSIONEM scribitur, circiter nonagies; ne unum quidem simplicem horum verborum consonantem usurpat; pertinent ad annos p. C. n. 52—250, imperia Claudii, Vespasiani, Domitiani, Nervae, Traiani, Hadriani, Antonini Pii, M. Aurelii, Severi Alexandri, Philippi, Decii; variant scribendi rationem de dativo vel ablativo pluralis pronominis IS et IIS, de litteris N et R in AEREA et AENEA, de vocalibus contractis vel non contractis in PRAEST et PRAEEST, de formulis quibusdam, neglegentius quoque uno alterove loco scribitur POS TEMPLVM et similia, sed consensus geminatarum consonantium facile tibi persuadebit, MISIO, DIMISIO, MISVS vitiosa, non latina habita esse. Enotavi haec:

C. VI 3453: POS MISIONE (sic) aetatis M. Aurelii;
VI 3630: VETERANVS HONESTA MISIOne;
V. 894: ACEPIT (sic) MISIONEM;

V. 2517: MISVS EST, ibidem CHORtis;

Ephem. epigraph. V. p. 467: in Mauretania MISIONE ACEPIT (sic),
ibidem: DAPNVS aspiratione neglecta, CHORTE, OB MERITIS;

Boissieu, Inscriptions de Lyon p. 361: MISI (genet.) HONESTA MISSIONE;

C. VI. 7375: PERMISVM, ibidem POEBHVS;

C. IX. 5228: PERMISV, ibidem PHILLOSTERGVS, SVCESA, POSSVVIT
i. e. *posuvit*, MAME *nutrici.*

Henzenii syllogae Orellianae III 6599 PROMISIS incertum est.

Eadem igitur ratio inter tales titulos et tabulas honestae missionis q. v. in geminatione intercedit, quam inter easdem tabulas et Gaium quem hodie habemus observavi in scripturis IIS vel IS dat. et ablat. plur. et HIS; quarum altera est in tabulis: CONVBIVM CVM IIS vel IS QVAS ..., altera apud Gaium: *conubium cum his Latinis peregrinisque, quas* .... (Institut. I 57), quae aspiratio vitiosa censenda est.

Simile est APSCISVM C. III 567. aetatis Traiani, in inscriptione Delphica ceteroquin rectissima.

Cf. ASE pro *asse* C. V. 6623; SEMISE III 6194;

OSA, HOSA, OSIBVS V. 381; VIII 5960; IX 2829; 4744.

In cenotaphio Gai Caesaris Augusti f. Pisano semel DECESVS, semel DECESSV abl.; in epitaphiis, maximam partem Christianis, est DECESIT, DISCESIT, RECESIT, RECESET, RECISIT PRECESIT C. V. 6196 p. C. 403; 7530 p. C. 432; VIII 9865, 9866, 9877, 9977, 9984; V 6726; 1707; VI 9317; VIII 9746; Le Blant, inscriptions chrétiennes de la Gaule II 452; I. 328; de Rossi, inscript. christianae urbis Romae I. n. 48, fortasse anni 338; n. 377 anni 389; 1113.

SVCESORIBVS C. V 7762; Marini, papiri diplomat. CXXXIV,
ibidem CESIONIS CXXVII; SVCESORIBUS apud eundem XCVIII saec. IX p. C. ubi et *quallibet*, *michi* saepius, *voccabuli*, *nunccupatur*, *inovare.*

EXCVSOR VERI C. V 6723 fuit *Eusebius episcopus et martur* Vercellensis; in carmine, ubi bis *aethra* pro *aethera*, *dominor* pro *dominator* metri causa.

Superlativo vulgus saepe unam S adhibuit; PROBISVMA est in titulo Amiternino C. I. 1298; ibidem POSIT perfectum.

CARISVMAE C. I. 1413 „litteris antiquis rudibus admodum Asisii"; vulgaris ibi est litterae E forma, duarum I instar, et dativus COIVGI et C littera pro G in HYCIAE;

CARISVMA III 4764 in Norico; COIVS *coniux*, FILI plur., FECERVM.

PIETISVM(o) X 7545 in Sardinia; ibidem vulgare FECERVT, eadem littera N eiecta.

AMA(N)TISIVMAE, utraque vocali, X 4110 Capuae.

Neglegentiae vulgi tribuendum est, quod passim in iisdem inscriptionibus duplicem et simplicem S scriptam legimus, ut C. V 1706 DVLCISIMO, DVLCISSIMA, ibid. ISTERCORIA, CASV DOLEVNT; est christiana; VI 8445 aetatis M. Aurelii, ethnica; X 2678; utrobique DVLCISSIMVS, SANCTISIMVS; III 89; 3543.

Sed proclive fuit unam S scribere, ut VI 14094 bis; 3548 ter; X 3076 bis; V 4515. 6580. 4376. 3808. 6172. 7116. VI. 3067. 7652. 8011. 1870. 3394. 8987. 11791. 13066. III 2601. 2637. 2544. (MERENTISISIMO, ut PIENTISISIMVS V 6244); 4208. 4500. 4761. 5528. 5705. 5830. 6322. VIII. 165. 327. 385. 1949. 1984. 2107. 2210. 2951. 3166. 3679. 3699. 3716. 3721. 4171. 4237. 4390. 4540. 5906. 9156. 9182. 9462. 10144. 10646. IX 377. 5477. 5908. X 765. 2113. (DOLCISIMO). 2678. 3100. 3373. 3519. 4113. 8053,80; Ephem. epigr. II p. 410. III p. 44. 126. IV 296

V 509; de Rossi, inscr. chr. urbis Romae n. 223, 1065 cet.; Le Blant, inscr. chrét. de la Gaule II 620 A cet.; inscr. Britann. christ. ed. Hübner n. 149 *rex sapientisimus opinatisimus* cet.

Persuasum igitur habemus, vulgus superlativos producta priore I enuntiavisse, cui efferendi modo ne eiecta quidem altera I, ut DVLCISMO, FELICISMA C. VI 13714, alibi CARISMA cet. adversatur. Nisi memoria me fallit, plus semel I longam scriptam vidi.

Sed brevis quoque vocalis in causa fuit, cur geminaretur. Probi Appendix (Keil p. 99): *Basilica non bassilica;* Pompeiis bis terve BASSILICA scriptum extat C. IV 1779; ibid. ASSELLVS n. 1555 nomen proprium, circiter anno XXIX p. C. n.

BASSIM legitur in titulo liberae rei publicae temporibus exarato C. I 1181 una cum geminata A vocali in MAAMIVS et multitudinis casu recto MAGISTREI; idem *bassim* vel *bassi* tuentur Ciceronis codex Vaticanus IX Phil. VII 16 (bis), Gudianus et Regius Parisinus V Tusc. XXIII 66, Vindobonensis II de nat. deor. XLIX 125; Vitruvii Harleianus X 20. 2, Leidensis alter 107 et ante correcturam Leidensis 88, cf. Mueller-Struebing p. 276.

POSSVIT C. X 633 = Ritschl, Priscae lat. monum. epigr. tab. XCVI in versu hexametro populari, Salerni:

Quisque (*e* erasum est) *huic tumulo possuit ardente lucernam,*
Illius cineres aurea terra tegat.

POSSVIT, POSSVERVNT, altera S in extremo versu, altera in primo scripta C. V 5623 et 6782; idem POSSVIT C. III 2756 in Dalmatia[2]); VII 47. 137. 246, Ephem. III p. 311 et Inscript. Britanniae Christianae ed. Huebner n. 67 in Britannia; antiquius illud *posivi* factum est POSSIVIT VII 579. 656; contrahitur POSSIT C. V 8152, ibidem *vivos, Maxsumus*; II 2601. 2712. 2793. Neque tamen crediderim, priscam praepositionem POR vel POS hoc effecisse; qui enim factum diceres, ut antiquiores inscriptiones ab ea geminatione prorsus se abstinerent? Ne hoc quidem constat, illud POS vel POR verbo ponendi subesse; nihil aliud, nisi praesens fuisse *posino*.

---

[2]) Eos, qui inscriptionibus Christianis et libris de catacumbis scriptis operam navant, monitos velim, ne vulgari sermoni etiam suam inscitiam imputent. Dum illius regionis titulum legimus, in mentem venit eorum, quae Victor Schultze Lipsiensis, *Die Katakomben*, 1882, p. 249 emendandi causa in medium protulit. Inscriptionem christianam apud Le Blant n. 478, quae sic habet:

HIC DALMATA CR
ISTI MORTE REDEM
TVS QVIISCET IN PA
CE ET DIEM FVTVRI
IVDICII INTERCEDE
NTEBVS SANCTIS L
LETVS SPECTIT

Schultze sic interpretatur: *Hic Dalmatia Christi morte redempta quiescit in pace et diem futuri iudicii intercedentibus sanctis laeta* (*ex*)*spectat.* Nomen, quod est *Dalmata, Delmata* generis masculini noli temptare. Quanto melius ille, qui quae non intellegit, ea intemptata relinquit, ut Comarmond, conservateur des Musées archéologiques de Lyon, in libro *Musée lapidaire de la ville de Lyon*, p. 3. Inscriptio haec est: *D*(*is*) *m*(*anibus*) *et memoriae dulcissimae animae Valeriae Trophimes*; *quae vixit . . . M. Aurelius Trophimus, et Valeriae Helpidi matri eius.* Comarmond vertit sic: *. . . à la mémoire éternelle de sa chère âme Valeria Trophimes . . . et à Valeria, mère de Valeria Trophimes.* Notum est, Graeca nomina eiusmodi plerumque etiam in inferioris aetatis titulis graece declinari; editor accipit *Trophimes* pro indeclinabili, cuius est causus rectus *Trophime,* patricus *Trophimes;* dativus est *Trophime,* ut *Valeriae Trophime* C. V 4758, *Papiriae Trophime* 4451*; Pliniae Hermiones* genet., *Pliniae Hermiore* dativus.

Eidem enuntiationi adscribendum est DEPOSSITVS, DIPOSSITVS; illud anni 363 est apud Rossium I. C. V. R. n. 158, hoc anni 348 n. 103, ut DIPOSITOS n. 445 anni 397 et n. 1026 anni 530.

Ex DEPOSTIO, quod habes Ephem. epigr. II p. 346 anni 460 Salonis in Dalmatia, apud Rossium Romae n. 291 anni 380, aliis locis, factum est DEPOSIO et DEPOSSIO, illud n. 81 anni 345, pro quo DPOSIO apud Muratorium 1550, 1 (cf. de Vit), hoc duplicis litterae apud Rossium n. 62 anni 341, n. 235 anni 373, n. 342 anni 384, n. 541 anni 405, C. III 2656 anni 411 Spalati in Dalmatia; apud Feam, Fast. consul. p. 90 cet.

Eiecta I vocali extitit DEPOSSO, ut C. VI 9318: DEPOSSONE i. e. *depositionem;* idem apud de Vit p. 648,2 sub v. *depono*, **d** ex Lupio p. 173.

Ut de nominibus propriis graecis, ut THIASSVS C. VI 4522, MEDVSSA V 4278, MVSSA VI 14550, THALASA VI 5756, MELISA 4546 iudicium faciamus, plura exempla conquiramus necesse est. THIASSVS vides non modo cum BASSIS vocabulo, sed ne cum BASSILICA quidem conferri posse; quae syllaba summum tonum non habet, alia est in primis, alia in mediis vocabulis.

De litteris NSS consociatis cf. Ribbeck l. l., qui Aen. IV 297 *praesenssit* librorum Eci, altera *s* correcta, praetermisit; ex quo libro *defenssi* in schedas meas venerit, nescio; *transseundumst* Heaut. 739 Bembinus; MENSSES, MENSSIS C. VIII 299, X 1541, Inscr. chr. u. R. n. 230 anni 372; MENSS(ibus) V 7408 IX 5468, Inscr. Helvet. n. 9; MENSIBVS, MESSIBVS VI 13146, MESSIBVS, MESES VI 3454, MESSIS V 1688, 1752, MESSES IX 4028, MESSIBVS IX 2151a cet. satis ostendunt, quam incerta vulgaris horum verborum enuntiatio fuerit, ex qua etiam MESIS multarum inscriptionum et *mese* Italorum fluxerunt: COMITATENSSI est IX 5649; TRANSSEO VIII 1027; ille titulus scriptura EXSTRVCXIT vulgi consuetudinem scribendi testatur, hic hexametri mensura ... *totam regione pedestrem* (accus.)

Finitima geminationi sibilantis est inferiore potissimum aetate litterarum X velut VXXOR C. V. 6209, 9555 VI 12691; MAXXIMVS V 8013 aetate Constantini; SEXXIES X 1362; VIXXIT X 1528 IX 4028 VIII 3575 VI 13146, ibid. BIXXIT; idem VIXXIT VI 13284; AEXXIANT VI 15080 i. e. *exeant.* Haec mihi omnium eius generis inscriptionum antiquissima videtur eademque quam maxime vulgaris, nam *Ti. Claudius Fortunatus fecit sibi et Maeciliae Tundaridi .. et lib(ertis) ... ne de nominae meo aexxiant.* Simile quid in antiquiore, qui aliquot saecula tenuit, usu XS scribendi latet, cum praesertim in senatusconsulto de Bacchanalibus EXDEICENDVM, EXDEICATIS simplici X scripta sint, EXSTRAD bis litteris XS, quia tenues sibilantem acuunt. — Sero demum VISSIT, BISSIT et VISIT vel BISIT scripserunt, illa Inscr. chr. u. R. 847, 978 saeculo quinto et sexto; BISST VI 12378 cet. Etiam saepius VICXIT invenias.

Nullius litterae geminatio praeter sibilantem minus sibi constat difficilioresque explicatus habet, quam liquidae L; de qua hic pauca dicam, pleniorem expositionem alii cuidam scriptioni reservans. Lachmannus comment. in Lucretium p. 22: „Regula est post longam vocalem e duabus *l* alteram subtrahi, si sequatur *i* littera, nisi ea casualis sit; ut *Messalla*, *Messalina.*“ Deinceps poscit *Paullus Polla*, *Polio Paulina; in Paulinae nomine*, ait, *minus saepe peccatum est.*“ Sed Romani regulam in his nominibus non curaverunt; qua aetate *Messalina*, eadem *Messala*, qua *Paulina*, *Paulinus*, eadem *Paulus*, *Paula* scriptitaverunt. Sic in christianis urbis Romae titulis PAVLINVS una *l* est n. 35 anni

325, n. 40 anni 333; PAVLA n. 6 anni 234, PAVLVS n. 67 anni 342, n. 88 anni 345; idem C. VI. 4510. 9920 (*imperio Arcadi Honori et Theodosi*); 14181; PAVLA unius *l* 10266 aetatis Vespasiani; 10233 anni 211; 10453 et 54; POLA 13466; MESSALLINAE 5537. 6327. 6335. 6596. 6619, 20, 25; 8840; 8952, 53; MESSALA 9472; PAVLLINA duabus *l* 7480. 9148. 49. 9358. 9505. 10261, 62. 12134 cet.

Sagacissime Lachmannus p. 204: „*l* simplici scribuntur in quibus *e* litteram longa syllaba praecedit, ut custodela clientela suadela candela sutela cautela tutela corruptela mandatela acutela; *l* geminatur ubi prima brevis est: eaque a tertia ac simplici forma fecerunt veteres, ut loquellam querellam sequellam luellam." Nam primorum p. C. n. saeculorum longe plurimi lapides habent QVERELLA, velut C. III 1315. 2086. V 180. 4484. 8854. X 7367. 4647. 5986. 5992. VI 6984. 7579. 7581. 8070a. 8878. 8914. 9160. 10105. 10284. 10676. 10717. 11373. 11781. 13171. 13299. 14289. 2651. 3053; Boissieu 151, cet.

Rarius QVAERELLA, primum fortasse aetate Claudii vel Neronis VI 12581; V 124 aetate M. Aurelii; V 2397. 6414. 8353. VI 7763. 8518. 8798. 11813.

Rarissime QVERELA, ut in Syracusana inscriptione

X 7173: *Florentina pia bona Crestiana*[3]), *que vixit mecum* , .. *sene nula querela seper in pake;*

VI 11778: *cun qua vixi* ... *sene ulla querela;*

VI 13574: *cum que* (est accusativus masculini, *m* abiecta[4]) *vixit sene ula querela;*

VI 13582: *que* (est nominativus femin.) *vixit* ... *cum qua vixit sene ulla querela;*

V 8608: *mes(es)* (i. e. *menses* ...) *qui mecu bix(it)* ... *querela.*

Num libri manu scripti re vera habeant illud *iam moesta quiesce querela* propediem explorabimus. Grammaticorum veterum locos collegit Conr Leop. Schneider, Grammatik p. 414. Vergilii codices *querella* constanter, nisi quod *querelis P 1* Aen. X 94 Ribb.

Terentio geminationem in vocabulo quod est TVTELA obtrusit Umpfenbachius ex codice Bembino Hec. prol. II 44, CLIENTELLAM Eun. V 8. 9. In inscriptionibus ne unum quidem certum TVTELLA legi, nam quod teste Huebnero ad C. II 3031 et 3377 Bourdelotus et Strada dederunt, propter incertam Hispanorum enuntiationem fide caret recteque ab Huebnero spernitur; TVTELA autem paene innumerabilibus locis inde ab Augusto usque ad novissima imperii Romani tempora, idemque in nummis Vitellii, Vespasiani Carausii. Antiquissima duplicis *l* in hoc nomine exempla inveni in Marinii „Papiri diplomatici" saeculi sexti medii vel vergentis, ut CXIV *titulo dotali aut tutillario*, CXVIII et CXXI *tutellario*: ne menologia quidem rustica, quae TVNDVNT pro TONDENT habent, in illo peccant. Quapropter non dubitabimus TVTELLA in codice Bembino itemque CLIENTELLA iis ipsis saeculis potius, quibus et Bembinum et si qui eius in hac re similes existunt codices exaratos esse credunt, quam Terentio et optimae aetatis recensioni q. v. vindicare. CLIENTELA multo rarius est, quam TVTELA; cf. C. V. 4919—22 annorum p. C. n. 27—28, II 2633 eiusdem aetatis; CLIENTELLA nusquam vidi.

In epistula Anthimi ad Theudericum regem Francorum *de observatione ciborum* ed. Rose codices noni saeculi S. Gallensis et Londiniensis quater vel quinquies *corruptilla* habent, Bambergensis bis *corruptella*. Cf. p. 66, 78, 80, 82, 89.

---

[3]) De vocabulis *Christus Chrestos*, *Christiani Chrestiani* confusis cf. Tertull. Apol. c. III, Lactant. Instit. Div. IV. 7. Apud Suetonium Claud. c. 25 libri *Chresto* habere videntur. Ad iotacismum rem Furlanetto rettulit.

[4]) *cum quem*, *ob meritis*, *pro se et suos* frequentissime scripta sunt.

„L triplicem, ut Plinio videtur, sonum habet: exilem, quando geminatur secundo loco posita ut „ille, Metellus“, plenum, quando finit nomina vel syllabas, et quando aliquam habet ante se eadem syllaba consonantem, ut „sol, silva, flavus, clarus“, medium in aliis ut „lectum, lectus.“ Sic Priscianus I. 38 (Hertz). Nos, quae est nostra latine loquendi consuetudo, paene dixi vernaculae linguae indoles ac natura, illas discriminum ac differentiarum tenuitates non assequimur; talem vero versum hexametrum Romae scribi potuisse demiramur:

Parce oculis nec nostra vellis cognoscere fata.

Titulus, quem Aelius Trophimus et Longinia Sabina parentes Aeliae P. f. Sabinae fecerunt, alterius p. C. n. saeculi videtur esse (C. VI. 10969); *palla*, *trienni* (genet.), *gressu*, *rupisse* recte geminant, *inmensus* elegantiorum hominum fuit. Sed *vellis* ille sive calami poetae sive scalpri lapsus est, habet quo excusetur. Namque duplicata consonans saepius in vulgari scriptura redit; C. VI 7458 eiusdem imperatoris Hadriani libertus quidam cavet sic: *custodia (i. e. custodiam) monimenti inhabitandi ne quis interdicere vellit;* omissa littera *m* finalis, ut quae in sermone vix audita sit, et duplex *l* conveniunt[5]) Primi saeculi videtur esse VI 15048 VELLIT; ibi nominatur Ti. Claudius Eutyches; Malvasia exscripsit; *erario*, *poene*, *bolo*, *voluptati meae contenderit* pro *aerario*, *poenae*, *volo*, *voluntati* posita singulis paene litteris vulgarem originem indicant; Orelli 4775: VELLITIS, VELLIT. — C. VI 3554: VELLIT; alterius saeculi exeuntis; ibi *ainventus;* eiecta *d* mutilata praepositio; C. V 2090: VELLINT, ibidem: *colende sepulture*, *summe*, *quot est.* C. VI 11529: (ne) LEDERE VELLIS. — C. VII 80: VELLINT, *cum vellint me consacratum conservare*, *promisi* ... potest esse subiunctivus imperfecti; sed. C. VII 140 NOLLIS est subiunctivus praesentis: ibi *Devo*, i. e. *deo*, interposito digamma, *inter quibus*, *anilum* i. e. *annulum.* Ita libri *nollis mallim* Terent. Eun. II 2. 41, Pho. IV 3. 53; *nollite* Plaut. Most. 287 in apparatu critico Ritschelii (codex B), et in multis aliis; *mallo* libri quidam Verg. Ge. III 69, Aen. IV. 108; cf. Ritschl praef. Stich., Fleckeis. praef. ad Plaut. XI, qui improbat, quod Ritschelius *nollo* in Sticho in continuitatem verborum receperit et ipse se reprehendit, quod per totam Trinummum vitiosas scripturas *nollo* et *mallo* induxerit; quam saepe ita peccatum sit, grammatici veteres docent, cum dedita opera eam scripturam refellunt. Quorum testimonia collegit Schneiderus gramm. I 418; de Vergilii libris cf. Ribbeck IV p. 429. Probi appendix p. 201: „Inter velit et vellit hoc interest, quod velit volentem significat, vellit autem eruit demonstrat.“ Neque Graecorum adverbium *μᾶλλον* neque similitudinem infinitivi et subiunctivi velle, nolle, malle, vellem cet. ad rem explicandam sufficere ex eo colligitur, quod alia verba eandem geminationem receperunt.

SEPELLIENDI participium esse videtur C. VI 10411 in titulo T. Aelii Victorini, alterius p. C. n. saeculi; de Rossi ad christianam religionem pertinere censet; SEPELLITVS Boissieu inscr. Rom. de Lyon, p. 186; SEPELLITA C. VIII 4373; *sepelliantur* Marini, Pap. diplomat. LXXI saeculi VIII.

C. VIII 10498 temporibus Iustini II (565—78) Graecus quidam versum latinum scripsit, in quo OBTVLLIT dactylus est. — C. X 4022 TVLLIT; *contullerat*, *protullerunt* apud Marinium LXVII, saeculi septimi; *tollerare*, *intollerabilis* in multis libris.

VELLINA tribus C. V 742; VI 7377, atque adeo FILLIS, FILLIORVM VI 13484, ubi *se civus*, *me civus*, *se vivi* plur. loco ablativi absoluti, et in Britannicis christianis bis; cf. Huebner p. 97; ALLIENARI in Praenestina inscriptione anni 386 p. C., Orellianae syll. 4360: COLLONIAE Henzen 5329.

---

[5]) Henzenus in Orellii sylloge III 6302 *coiunx*, C. VI *coniunx;* illud genuinum videtur.

Aurelii libera re publica multi fuerunt, plures imperatorum aetate; in titulis, quorum aetas definiri potest, AVRELLIVS scripturam non vidi prius quam saeculo altero p. C. n. adhibitam C. VIII 8409: *pro sal. imp. M. Aurelli Antonini Aug. Arm. et L. Aurelli Ver. Arm.*

Sunt igitur qui vulgo dicitur Marcus et frater eius L. Verus

Filiae illius et Faustinae, *Vibiae Aurelliae divi M. f. divi Severi sor. Sabinae patronae municipii,* Caracallae temporibus mentio fit 5328; cf. Huebner p. 962, cui „ectypa ostendunt, nomen in hoc titulo scriptum esse duabus L, in altero n. 5327 una tantum". — In ceteris inscriptionibus, e quibus urbanae primo nobis auctoritatis loco esse debent, Marci nomen item ac Veri et filiae, cuius alter titulus extat C. VI 1020, L simplici scribitur; suum autem nomen Caracalla duabus L videtur scribi voluisse *Imp. Caesar M. Aurellius Antoninus Aug.;* nam cur ita scriptum sit, nescimus; enuntiationem Romae paucis illis annis mutatam fuisse veri simile non est. Fortasse Caracallae isto modo suum ab *Imp. Caesaris M. Aurelii Antonini Aug.* nomine, qui nobis est M. Aurelius, distinguere placuit. Certe in actis fractrum Arvalium annorum 213 et 214, C. VI 2086. 2103, quater geminatur L littera, simplici nomen scriptum non est; in iisdem actis M. Aurelii nomen, anni 155, et Commodi, anni 183, simplici L efferuntur; duplici Caracallae VI 1047, ubi una cum patre et fratre nominabatur, 1062. 1065. 1067. 1069. 1081. 1082. 1365; VIII 10061. 10070. 10393. 10398; nam quod 10026 e Guerinii libro refertur, equidem apud eum non reperio; de aliquot titulis, qui in aliis provinciis scripti sunt, cf. C. III. p. 1114. V. p. 1158. IX. p. 753. X. p. 1103. Ephem. IV. p. 277. V. p. 463; IV. p. 277 adde 791.

Parcius in titulis Elagabali et Alexandri Severi geminatum est; C. X. p. 1104 adde n. 1652. 1653; Ephem. IV p. 582 adde n. 747. — C. VI 186. 1083. 2009. 3839 bis; 2104 quater; VIII 2659.

Privatorum Aurelliorum nomina inter sexcenta exempla litterae L non geminatae quater vel quinquies vidi.

Num geminatio primum ex Afrorum quadam duritie sermonis orta sit, in altera parte commentationis disceptabimus.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Doctrinae de ss. Trinitate partem, quae reliqua fuerit, absolvet; dein opus creationis et redemptionis dogmatice explicabit, quinquies vel sexies per hebd. hora X.
II. Linguae hebraicae grammaticam docebit, addens exercitationes interpretatorias, bis terve per hebd. hora II.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

I. Theologiam pastoralem docebit sexies per hebd. hora IX.
II. Jus matrimoniale tradere perget diebus Lunae et Jovis hora VIII.
III. Repetitiones et exercitationes catecheticas et homileticas instituet diebus Mercurii et Veneris hora VIII.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam novissimi temporis semel per hebd.,
II. medii aevi quinquies per hebd. enarrabit hora IX.
III. De arte christiana disseret semel per hebd. hora definienda.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Vaticinia Jsaiae prophetae interpretari perget ter per hebd. hora VIII.
II. Evangelium secundum Johannem explicabit ter per hebd. hora VIII.
III. Apologeticen docebit bis per hebd. horis definiendis.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. De virtutibus et officiis moralibus, maxime de iis, quae ad vitam socialem pertinent, disseret, adjunctis repetitionibus, sexies per hebd. h. XI.
II. Apologetarum veterum vitas et scripta enarrare perget h. def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Bender, P. P. O., h. t. decanus.

I. Historiae medii aevi partes praecipuas tradet ter per hebd. h. XI.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebd. h. XI.
III. De praecipuis historicis eorumque scriptis aut de fatis linguae theodiscae disseret semel vel bis per hebd. h. XI.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Antiquitates quas vocant christianas ex inscriptionibus graecis et latinis enarrabit bis hebdomade hora IX.
II. De arte antiqua bis hebdomade hora IX disseret.
III. Exercitationes philologas bis hebdomade horis deff. instituet.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

I. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu disserere perget bis per hebdomadem h. VIII.
II. Astronomiam popularem docebit ter hebdomade h. VIII.
III. Fundamenta chemiae tradet bis hebd. horis deff.
IV. Calculum differentialem et integralem explicabit horis deff.

Dr. Jos. Krause.

I. Psychologiam docebit bis per hebd. hora X.
II. Metaphysicam tradet bis per hebd. hora X.
III. Historiam philosophiae recentioris temporis enarrabit semel per hebd. hora X.
IV. Paedagogicen tradet bis per hebd. horis definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Killing.**

Renuntiatio iudiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine litterario has proposuerat quaestiones:

I. Ex instituto Regio: Oratio S. Stephani (Acta apost. VII., 2 sq.) accurate exponatur atque illustretur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: S. Petrum Romae fuisse ibique cathedram fixisse ex monumentis ecclesiae Romanae demonstretur.

De priore quaestione una tradita est Ordini commentatio his inscripta verbis: „Beati eritis, quum vos oderint homines et exprobaverint, . . . propter Filium hominis. Gaudete in illa die et exultate: ecce enim merces vestra multa est in coelo.“ Luc. VI 22.

Libelli auctor argumento proposito non sine dexteritate satisfecit. Nam plurimas quaestiones hic tractandas diligenter congessit accurateque excussit sermone usus polito et plerumque eleganti. Passim quidem in allegandis S. Scripturae locis ceterisque fontibus sollertia atque accuratio non minus desideratur quam in enucleanda totius orationis S. Stephani partitione et compositione. Qui tamen et alii levioris momenti defectus non obstare videbantur, quin Ordo Theologorum auctorem praemio constituto ornaret.

Schedula reclusa nomen prodiit:

Augustinus Kallweit, stud. theol.

De altera quaestione dissertatio Ordini subiecta est his S. Ambrosii (Eplan. in psl. XL) insignita verbis: „Ubi Petrus, ibi ecclesia.“

Quam commentationem qui scripsit quamvis monumenta, quae huc sunt referenda, nec omnia nec satis diligenter indagare studuerit et nonnunquam ab emendata cultaque dicendi ratione longe recesserit, tamen universe rem ita absolvit, ut praemio non indignus habitus sit.

Rescissa charta innotuit:

Bernhardus Reiter, stud. theol.

Ordo Philosophorum hanc quaestionem proposuerat: Quid de anima Tertullianus in tractatu iisdem verbis inscripto doceat.

Nulla eius modi commentatio ordini subiecta est.

Commilitonibus Lycei Regii Hosiani pro certamine literario in annum currentem has quaestiones proponit

Ordo Theologorum:

I. Ex instituto Regio:

De tribus Christi muneribus disseratur ita, ut eorum tam nexus inter sese quam relatio ad ordinem salutis universum illustretur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano:

De praeceptis et praxi artis catecheticae, quae in S. Augustini scriptis occurrunt.

Ordo Philosophorum:

Henrici IV episcopi Warmiensis vita enarretur accuratiusque quam gravia atque infausta ipsius tempore cum Prussia tum Warmia perpessae sint, ex fontibus vernaculis explicetur.

Certantium commentationes latine conscriptae et more consueto signatae ante diem XV. Januarii a. 1887 Rectori Lycei exhibendae sunt.

Victoribus praemia constituta: ex instituto Regio LXXV, ex stipendio Scheill-Busseano C marcarum.